

FR. ANTONII EBOLENSIS,
SACERDOTIS.

V I T A , E T G E S T A .



RATER ANTONIVS AB EBOLO, Sacerdos, Vir miraculorum gloriâ illustris, cum ex sæculari Clero, in quo Sacerdotio inunctus, omni virtutum laude florebat, ad Capucinorum sinum emerisset, ita se ad omnem Apostolicæ vitæ rationem composuit, vt nullum illi, ad perfectam Euangelici, ac Seraphici viri formam, virtutis ornamentum deesse videretur: cum enim humilitati obedientia, obedientiæ paupertas, paupertati morum honestas, huic patientia, mansuetudo, vitæ austeritas, patiendi cupiditas, charitatis ardor, ac iuge orationis studium accederent; hâc virtutum coronâ, Cœlestem animum ita exornavit, vt cum inter homines versaretur, diuinam planè imaginem in seipso referret. Hinc Dei in eum abundantius dona fluere cœperunt; quibus & longè à nobis remota conspiciere, & futura præuidere; ac demùm signa. & miracula patrare valeret. Singularia verò huius Viri gesta in MS. nostris desiderantur, quibus illustrior illius vita, & sanctimonia apparerent, quæ vel temporum iniuria, vel Scriptorum incuriâ interière. Plurima tamen huius Viri miracula referuntur, quæ minimè reticere æquum est. In his Franciscus Antonius Eboleus, ob catharri fluxum, toto corpore dolore affectus, cum ab Antonio Crucis signo benedictus fuisset, catharri fonte arefacto, à dolore curatur. Hoc ipso Crucis signo, ligneâ Cruce, quam is secum gestabat, exhibito, Hieronyma Iuliana, Francisci Antonij vxor, à cordis palpitatione: atque huius filius à gemino abscessu, quo grauiter afflictabatur, incolumes redduntur. Hieronyma Gentiliora Eboleus, quo tempore morbo Comitiali stridebat, ab Antonio Cruce obsignata, ac pro eâ Antiphona: *Salve Regina &c.* semel adstantibus indictâ, ita ab eo morbo curata est, vt eo deinceps nunquam vexata fuerit. Anno 1602. Antonia Ceronna, cum Eboli, Medicorum iudicio, neci adiudicata, iam linguæ vsu amisset, vbi Antonius aliquantisper pro eâ orauit, sermo illi restitutus, ac post octauum diem, integra incolumitas reddita fuit. Anno 1605. Iulia Paganeta, Eboleus, maximis

mapa 39, mariano pastore, Eboli 2013.

per totum fere corpus doloribus afflicta, cum lignea Cruce, quam ab Antonio acceperat, membra dolore affecta attigisset, ab his in momento libera fuit. Anno 1607. Claudia Massa, Ebolenfis, grauiiter ligni calu in capite fauciata, cum ab Antonio Crucis signum postulasset, eo accepto, protinus a dolore, tum paulo post a vulnere conualuit. Eodem anno Victoria Rhoana, Ebolenfis, a diuturna cephalalgia: ac Petrus Ioannes, eius Nepos ab odontalgia, qua ad insaniam adigebatur, lignea Cruce ab Antonio illi capiti imposita, huic molaribus admota, nulla interiecta mora curantur. Anno 1608. Thomas Manfredus, 15. annorum adolescens, ex alta turri campanaria in imum solum delapsus, caput, ac totum fere corpus ita sibi labefactauerat, vt nulla ipsius vite spes Medicis superesset, at cum Antonius lignea sua Cruce bis ter illius caput, ac membra obsignasset, mox conualescere cepit, ac breui integram incolumitatem assecutus fuit. Eodem anno Hyppolita Vitolia acerbo humerum dolore cruciata, cum nullis Medicorum remedijs curari posset, Antonius sua illi Cruce humeros contingens, statim ab his dolorem fugat. Antonius Scius, Ebolenfis acuta febre ad mortem agrotans, Medicorum ope destitutus, ab Antonio eadem Cruce obsignatus, qui moribundus erat, in vitam, & incolumitatem respirat. In vrbe Campaniâ, Alexandri Maserutti filius, quatuor annorum puer, ex alto delapsus, breui expiraturus credebatur, cum Antonius inter manus assumptum, Crucis signo consignat, patriq; incolumem reddit. Idem Decium Corcionem, Ebolensem, humeri dolore grauiiter vexatum, Crucis illi signo adhibito, statim a cruciatu liberat. Alteram quoque Antoniam Arminiam, Eboli, ab anginae morbo, solo Crucis suae contactu vindicat. Ibidem Antonius quidam Papatatta, nouem annorum puer, utroque lumine orbatus, spem omnem videndi abiecerat, cum Antonius IESV, Mariae, ac B. P. Francisci nomine inuocato, utrumque pueri oculum viuifico illo signo obsignasset, illi protinus visum restituit. Iulia Sorentina, Ebolenfis, cum ex cathari fluxu ceruicem ita curuam gereret, vt eam nulla ratione erigere valeret, ab Antonio Crucis signum accipiens, confestim a cathari fluxu perfanatur. Plura alia huiusmodi signa ab hoc Dei seruo patrata referuntur, quae breuitatis studio praeterco; vt Prophetici spiritus, quo is abunde a Deo donatus fuit, nonnulla etiam exempla historiae prosequar. Ac imprimis Ferrantem Landolphum, Cilenti Baronem, homicidij accusatum, Neapoliq; in vinculis detentum, post breue tempus liberum e carcere emerfurum;

matri prænunciat. Anno 1608. cùm inter Hyppolitæ cuiusdam Vitoliæ fratres, & peditum Ducem, tam capitales inimicitia grassarentur, vt mutuas sibi cædes machinarentur; Hyppolita Antonium, vt suâ illos oratione ad concordiam adducat, cum lachrymis rogat: Antonius verò Hyppolitæ filiæ adhuc puellæ, vt nouem dierum spatium ante beatæ Virginis iconem, Salutationem Angelicam deuotè recitet, iniungit; quod cùm illa præstitisset, crastinæ diei sextadecimâ horâ, pace inter fratres, & peditum Ducem firmatâ, omnia simul odia, ac inimicitias restinguendas prænunciat. Rem exitus probauit. In oppido, quod vulgò, Rocca dell' Aspido, appellatur, Laurâ Horatij vxore, diu ægritudine vexatâ, Horatium veneficium suspicatus, Antonium adit, vxoris languorem, veneficij quoque suspicionem aperit. Vterq; Antonio ignotus erat: at pro eâ preces ad Deum fundens, quid de Lauræ ægritudine sentiendum, quæue illius causa sit, diuinâ reuelatione agnoscit. Quamobrem Horatio non veneficium, sed vxoris culpæ labem haud illi plenè perspectam, diutinæ ægritudinis causam esse significat: cùm enim illi germanus frater esset, qui turpem iamdiu cum pellice vitam duceret, rem illa tanto perè exhorrebat, vt & fratrem odio prosequeretur. Quare Horatium, vt vxorem moneat, hortatur, vt à fratris odio abstineat, longioremque, quàm putabat, vitam pollicetur. Denique post Lauræ mortem, certam illius salutem Ioanni Angelo, Horatij germano aperit, anno 1607. Cùm Ioannes Felix, Ebolensis tabernarius, tam acerbè colico dolore premeretur, vt à Medicis vix duarum horarum vitæ spatium illi præscriptum fuisset; vbi Antonius aliquantisper pro illo Dominum rogauit, breui incolumem futurum spiritu prophético prædicit. Anno 1608. Deianira, Lucretiæ Corcione filia, ita feбри, ac totius corporis tumore laborabat, vt ipsius apud Physicos vita potius ad desperationem, quam ad spem propenderet; Hanc cùm Antonius Cruce obsignâset, longioris adhuc vitæ cursum à Deo consecuturam prænunciat: quæ omnia, prout sanctus Vir prædixerat, euenère. Postremò, cùm fidelis hic Dei seruus, ad vitæ finem accederet, decimo antè ipsius obitum die, Eboli per oppidum incedens, Iuliæ Clariæ, se decimâ die ad Deum migraturum prædicit. Post hæc stomachi dolore corripitur; cui cùm pleuritis successisset, eo, quem prædixerat die, eximijs patientiæ exemplis, magnoq; sanctimoniæ odore post se relictis, Eboli mortalis vitæ cursum absoluit, immortalem apud Deum inchoaturus. Porrò obitus eius famâ per oppidum diffusâ, magnâ vtriusque sexus virorum, ac mulierum

mapa 39, mariano pastore, Eboli 2013.

multitudo ad illius funus confluere visa; tantaq; in Dei seruum populi deuotio efferbuit, vt magna ipsius habitus pars in frustra concisa fuerit; illustrioresq; oppidi Viri illius Cellam deprædati, sandalia, cingulum, papyraceas imagines, libellos manuscriptos, strophiola, & quæcunq; ipsius vsui olim inseruierant, secum abstulerint, & velut Reliquias seruauerint. Nec frustra: his enim plerique ægrotantes curati fuere, ac mulieres à partus doloribus liberatæ. Post huius sancti Viri obitum, cum Fr. Bonauentura Melfitanus, Clericus, biduo Dominum rogasset, vt Antonij animæ status sibi significaretur; Fr. Antonium candidâ stolâ ornatum inter duos Angelos conspicit, alterumq; Capucinum Fratrem hæc sibi dicentem audit: Bonauentura, hic, quem inter Angelos cernis, Fr. Antonius est Cœlesti gloriâ donatus. Obijt Vir Sanctus Anno 1609.